DISSERTATIO HISTORICO-ECCLESIASTICA,

*DE*

# INSIGNIORIBVS VETERVM CHRISTIANORVM FORMVLIS,

QVAM




PRÆSIDE

JO. ANDR. Schmidt, S. THEOL. D.
EJVSDEMQVE ET SS. ANTIQVITATVM
IN ILLVSTRI JVLIA PROFESSORE P. ET
ORDINARIO ET ORDINIS SVI
H. T. DECANO

*D. XX. DECEMBRIS cIↄ Iↄc XCVI.*

IN JVLEO MAJORI
PVBLICO SOLENNIQVE ERVDITORVM
EXAMINI SVBMITTIT

AVGVSTINVS JOANNES FASCHIVS
RESPONDENS.

---

RECVSA M DCC XXVI.



## Q. D. B. V.

### §. I.

Nihil prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientia coronetur (*a*). Sine Christo vanum omne, quod vivimus (*b*). Hæc omni sunt expendenda Christiano. Ideo *CHRISTIANVS es*, inquit Augustinus, (*c*) *Ecclesiam frequentas, verbum Dei audis, de lectione verbi Dei latissime commoveris, tu laudas tractantem, ego quæro facientem. CHRISTIANVS es, frequentas Ecclesiam, amas Verbum Dei, libenter audis. Ecce hoc quod propono, in eo te examina, in eo te appende, in eo ascende mentis tuæ tribunal, & constitue te ante te, judica te, & si pravum inveneris, corrige te. Esse CHRISTIANVM, grande est non videri. Nescio quando plus placent mundo, qui Christo displicent* (*d*). Inde *quales ad se exeant, Dominus attendit in servis suis.*

### §. II.

CHRISTIANORVM nomine latissime accepto, pro pie viventibus & justis, & in V. T. Ecclesia, qui fuerunt fideles, *Abrahamus* & reliqui, CHRISTIANI vocari possunt, teste *Chrysostomo* de iis, qui ad *Abrahamum* usque vixerunt, ita scribente: *Quales erant? Gentiles ne? sed non permittit fides. Non erant Gentiles: non enim fuerunt infideles, Dæmonibus non servierunt, simulacris non fuerunt subjecti, impostoris Dæmonum*



(*a*) Hieron. de veste Sacerdotali.
(*b*) Idem in epitaphio Nepotiani.
(*c*) August. serm. 20. de verbis Apostoli.
(*d*) Hieron. ad Paulin. de instit. Monach.
(*e*) Augustin. Epist. CXXII. ad Victorianum.

*restiterunt. Proinde non possunt Gentiles vocari. Quid igitur erant? Judæi? sed non acceperunt Legem, non observarunt Sabbatha, nec ciborum discrimina, non habuerunt circumcisiones. Si igitur Veteres neque gentiles neque Judæi fuerunt, inventum est aliud nomen, quod ipsis potest aptari. Manifestum est, eos fuisse* CHRISTIANOS *non nomine, sed potentia.* Sed nos de illis magis solliciti, qui post Christum *actu* tales fuerunt, iique vel religionis CHRISTIANÆ *confessores*, vel *martyres*, vel *orthodoxi Christiani* quivis alii, sive in ecclesia *Doctoris* & *Ministri* officium subierint, sive *auditoris.* Horum nunc *formulas solenniores* investigare lubet, visuri annon ex istis quoque nostros quodammodo possimus emendare mores? A qua vero *formula* commodius quis sumeret initium? quam a sequente:

## §. III.
## SVMVS CHRISTIANI.

Tempore persecutionum in processu judiciario Martyrum in numero quæstionum præcipua erat & illa: CHRISTIANVS ES? cui respondebant simpliciter & promte: CHRISTIANVS SVM. Sic enim scribit Tertullianus (*a*): *vociferatur homo:* CHRISTIANVS SVM, *quod est, dicit, tu vis audire, quod non est. ---- Hoc sum*, inquit, *quod quæris an sim, quid me torques inperversum? confiteor & torques, quid faceres si negarem?* Ex Justini apologia Eusebius (*b*) hujus rei exemplum Ptolomæi cujusdam narrat: *Oblatus Vrbicio judici Ptolomæus, id unum similiter interrogatus est, utrum esset* CHRISTIANVS? *ille vero qui per Christi doctrinam cuncta se bona consecutum esse, intelligebat, illam cœlestis ac divinæ virtutis institutionem iterum confessus est. Cum vero Vrbicius Ptolomæum ad supplicium duci jussisset, Lucius quidam, qui & ipse* CHRISTIANVS *erat, adeo injustam audiens sententiam, sic Vrbicium allocutus est: Quid causa est, inquit, ut hominem neque adulterum, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem, nec*

(*a*) in apolog. adversus gentes c. 2.
(*b*) Hist. Eccl. L. IV. c. 17.

*nec impostorem, nec ullius denique sceleris reum, nominis duntaxat* CHRISTIANI *vocabulum confitentem condemnaveris? Hujusmodi forma judicii non convenit temporibus Imperatoris PII, nec PHILOSOPHI Cæsaris filii, nec Senatui Romano.* Tum *Vrbicius nullo alio responso hominem dignatus, sic eum alloquitur: Tu quoque*, inquit, CHRISTIANVS *esse mihi videris.* Cumque *Lucius ita esse respondisset, jussus est itidem ad supplicium duci.*

Interdum CHRISTIANI ad varias repetitasque interrogationes nihil aliud responsi dederunt, quam CHRISTIANVS SVM. Cujus rei testimonium iterum apud *Eusebium* (*c*) deprehendimus in epistola Lugdunensium & Viennensium *Blandinæ* nimirum, in qua excrucianda tortores defecerunt, seque victos confessi, cum nullum tormenti genus, quod ipsi inferri posset, reliquum haberent, testarenturque, unicum tormenti genus ad illam enecandam suffecisse, nedum tot ac tanta tormenta, sensum omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum: CHRISTIANA SVM, *& nihil apud nos mali geritur.* Huic successit *Sanctus*, Diaconus Viennensis, qui cum & ipse supra humanum modum cuncta, quæ ab hominibus excogitari potuerunt, tormenta fortiter sustineret, sperantibus jam impiis, aliquid se indecorum atque illicitum ex eo audituros, ob nimiam vim & magnitudinem cruciatuum, tanta firmitate eis restitit, ut nec suum, nec gentis, aut civitatis, ex qua esset oriundus, nomen, nec an *servus* esset, aut *ingenuus*, prolocutus sit: Sed ad omnes interrogationes Romana lingua responderit: CHRISTIANVS SVM. Hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse subinde profitebatur, neque aliam vocem ab eo gentiles extorquere valuerunt. *Basilius* encomio in Sanctos XL. martyres milites, de illis refert, quod quilibet illorum in medium procedens dixerit: CHRISTIANVS SVM. Bedam

 (*d*) ad-

(*c*) l. c. Libr. V. c. 1. p. 157. seqq.

(a) adhuc audiamus de Albano: *Tum judex: cujus familiæ, vel generis? Albanus respondit: Quid ad Te pertinet, qua sum stirpe genitus; sed si veritatem religionis audire desideras, CHRISTIANUM jam me esse, CHRISTIANISque officiis vacare cognosce. Ait Judex: Nomen tuum quæro, quod sine mora mihi insinua. At ille: Albanus, inquit, a parentibus vocor, & DEUM verum ac vivum, qui universa creavit, adoro & colo.* Eo forte etiam respexit Cyprianus in libro de lapsis. (b) *Religiosa vox Christum locuta est, in quem se semel credidisse confessa est. -- Summus est victoriæ titulus, gentilium manibus apprehensum DOMINUM CONFITERI.* Quemadmodum vero hæc unica sæpe vox erat, quam CHRISTIANI loquebantur, sic sufficiens gentilibus videbatur esse causa, ob quam damnarentur ad ignes, ad bestias, aliosque cruciatus. Imo non aliam nonnunquam præ se ferebat vocem decretoria sententia, & tabula martyri prælata. Cui rei ut fidem faciamus, ea adducere lubet, quæ epistola (c) Viennensium & Lugdunensium de *Attalo*, patria Pergameno, columna & firmamento ecclesiarum illarum refert. Cum enim per amphitheatrum circumduceretur, bestiis objiciendus, præcessit ipsum tabella, in qua latino sermone inscriptum erat; *HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS.* Et illud in processu judiciario martyrum interdum observabatur, ut per vocem præconis delictum significaretur, ceu exemplum Polycarpi (d) nos docet. Nam Proconsul post Polycarpi confessionem misit præconem, qui in medio stadio ter pronunciavit: *POLYCARPUS SE CHRISTIANUM ESSE PROFESSUS EST.*

Quales autem ore tunc temporis se profitebantur CHRISTIA-

(a) Hist. Eccles. Angelorum Lib. I. c. 7.
(b) p. m. 121. seq. edit. Bremensis.
(c) apud Euseb. l. c. p. 162.
(d) idem 4. 15. p. 132.

STIANI, tales etiam reapse erant, ut Doctorum Ecclesiasticorum apologiæ adversus gentes ad doctrinam vitamque CHRISTIANAM, quasi rem certam & ab uno quovis gentilium facili experimento capiendam, jure meritoque provocaverint. Ex multis nobis placent verba Tertulliani (e): *Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere. Coimus in cœtum & congregationem, ut ad DEUM quasi manufacta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad divinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus: ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri judicio præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique seniores, honorem ipsum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat, etiamsi quod arcæ genus est, non de ordinaria summa quasi redemtæ religionis congregatur: modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, etsi modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt: nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jam domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis & si qui in insulis, vel in custodiis, duntaxat ex causa Dei sectæ alumni, confessionis suæ fiunt. Sed ejusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. Vide, inquiunt, ut invicem se diligant, ipsi enim invicem oderunt: & ut pro altero mori sint parati: ipsi enim ad occidendum alterum paratiores erunt. Sed & quod fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis*

(e) Apolog. adv. gent. c. XXXIX. p. m. 47.

*sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres item etiam vestri sumus jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis &c.* Tales erant illi, cum sanguis CHRISTIANORVM Ecclesiæ semen esset. Sed quantum nos mutati sumus ab illis, qui CHRISTIANI titulo superbire solemus!

## §. IV.

### Omnia autem veteres CHRISTIANI incipiebant IN NOMINE DOMINI,

in quo auspicabantur & finiebant conciones sacras. Hinc Optatus lib. VII.: *non aliquid incipit Episcopus ad populum dicere, nisi primo* IN NOMINE DOMINI *salutaverit. Similes sunt exitus initiis. Omnis tractatus in Ecclesia* A NOMINE DEI *incipitur & ejusdem NOMINE DEI terminatur. Sic & Ambrosius:* (a) IN CHRISTI NOMINE *habeo offerendi mei corporis potestatem.* Nisi quis dixerit, hanc potius formulam spectare ad sequentem: Patrum autem Græcorum solennis quoque in scribendo salutandi formula fuit: ἐν κυρίῳ χαίρειν, teste Chrysostomo (b): *sive edas, sive bibas, sive nubas, sive peregre proficiscaris, omnia in nomine Dei facias, hoc est ipsum adjutorem invoces: ac tum demum agenda contingas, postquam ipsum primum precatus fueris. Vis aliquid loqui? Nomen Domini præstrue, propterea & nos epistolis nostris nomen Domini præstruimus. Vbicunque fuerit nomen Domini, ibi omnia sunt prospera: si enim Consulum nomina securitatem literis addunt, multo magis Christi nomen &c.* Imo non epistolis solum, sed quibuscunque aliis scriptis præponebant veteres christiani nomen Domini. Hinc Augustinus suos de Trinitate libros ita est

(a) ad Marcellin. L. 2. epist. 14.
(b) hom. IX. in cap. 3. epist. ad Coloss.

est orsus: *In nomine Domini susceptum opus aggredimur.* Justinianus etiam Imperator suis Institutionibus illud dedit initium: In nomine Domini nostri Jesu Christi. Vbi notat Francisc. Bernardin. Ferrarius, (*a*) quod hoc institutionum initium in omnibus manuscriptis codicibus se reperisse testetur Ludovicus Russardus ad earum procemium: & hoc ab eo ideo addi, ut appareat, quam bene fecerint & quam periti fuerint antiquitatis ii, qui a Justiniani institutionibus initium illud sustulerint. Et Hadoindus Cenomannicæ urbis episcopus, ut est ap. Brissonium lib. VII. de formulis Romanorum testamentum suum condidit cum hoc principio: *Nos pariter veterem morem retinentes in condendis testamentis, ita incipimus: IN NOMINE DOMINI &c.* Et nunc quoque passim ea formula adhibetur:

## §. V.
## PAX VOBIS, VEL OMNIBVS.

Solenni hac formula non tantum CHRISTVS post resurrectionem discipulis suis optima quæque est precatus, dicendo: εἰρήνη ὑμῖν: sed etiam Apostoli in epistolis suis illa sunt usi, v. g. c. Rom. I, 7. I. Cor. I, 3. II. Cor. I, 2. Ephes. I, 2. Phil. I, 1. Colofs. I; 2. I. Thessal. I, 1. II. Thessal. I, 2. I. Tim. I, 2. II. Tim. I, 2. Tit. I, 4. Philem. I, 3. I. Petr. I, 2. II. Petr. 2. II. Johann. 3. III. Johann. I, 5. Judæ 2. versu. Hanc consvetudinem imitatos sanctos ecclesiæ primitivæ doctores, qui in publicis conventibus sacris subinde auditoribus pacem precabantur, confirmat Chrysostomus (*b*) docens: *Pater ingressus non prius conscendit Cathedram, quam OMNIBVS VOBIS precatus fuerit PACEM. Et surgens non prius VOS docere incipit, quam OMNIBVS dederit PACEM. Et sacerdotes benedicturi postquam PACEM prius fuerint VOBIS precati, ita benedictionem*



(*a*) de antiquo eccl. epist. genere lib. 10. cap. 2. n. 169. p. m. 118.
(*b*) homilia continens, qui in primo Paschate jejunant.

*nem incipiunt. Diaconus, quando cum aliis precari jubet, etiam hoc mandat in precibus, ut angelum PACIS pietatis, & omnia proposita ad PACEM spectent. Et quando cœtum dimittit, hoc ipsum VOBIS precatur, dicens: ABITE IN PACE.* Et alibi hunc salutationis modum usitatissimum fuisse, ex eodem (*a*) constat: *Cum ingressus fuerit is, qui praest ecclesia, statim dicit: PAX OMNIBVS. Quando sermonem facit, & concionatur: PAX OMNIBVS. Quando benedicit: PAX OMNIBVS. Quando jubet osculari: PAX OMNIBVS. Peracto sacrificio: PAX OMNIBVS.*

Atque hunc morem Chrysostomum ipsum in concionibus non una vice tenuisse, testatur Socrates (*b*) reditum ejus de exilio narrans. Obviam enim progressa multitudo vulgi, eum cum summa reverentia in ecclesiam recta deducit: orans ut in Episcopali cathedra sedere & pro more solito pacem populo apprecari velit. Cum ille recusaret diceretque id judicum decreto fieri debere, & oportere, ut ii, a quibus condemnatus esset, mutata sententia ipsum absolverent, populus magis magisque incendebatur, eum in cathedra sedentem videre, & concionantem iterum audire, votis omnibus concupiscens. Pervicit tandem populus, ut ista fierent. JOANNES ergo in Episcopali solio residens, sicut antea consveverat, PACEM POPVLO pronunciavit: ac præterea, necessitate compulsus sermonem habuit ad populum.

Eundem quoque loquendi modum commendat Cyrillus Alexandrinus Libr. XII. in Johannem: *salutat discipulos usitata illa forma, PAX VOBIS, legem veluti quandam constituens ecclesia filiis: Quo fit, ut in sanctis potissimum conventibus & synaxibus*

(*a*) homilia I. in epistola ad Colossenses.

(*b*) Histor Ecclesf. Libr. VI. c. 16. p. m. 324. addatur Sozomenus Hist. Ecclesf. Libr. VIII. c. 18. p. m. 783.

*naxibus circa ipsa mysterii initia hoc invicem dicamus.* PETRVM etiam CHRYSOLOGVM, ab aurea dictione ita dictum, ipso concionum initio PACEM auditoribus solitum precari, satis fidem facit Sermo CXXXVIII. de PACE inscriptus, in quo sequentia leges: *Quid igitur est, o religiosa plebs Domini, quod vobis, quamvis pauperes, quamvis ineruditissimi, attamen decenter offerimus? PACEM sine dubio, quam DOMINVS noster JESVS CHRISTVS ingredientes nos offerre omni domui jubet: unde & nos in principio salutationis nostra PACEM VOBIS a DOMINO exoravimus.* Athanasius denique invehitur epistola ad Eustathium, in quosdam Episcopos, qui cum initio sacrificii & sermonis blandum illud proferrent *PAX VOBIS*, tragœdias tamen excitabant, & alios affligebant. Simili invectiva utitur Optatus Milevitanus Libr. III. *Non potuistis*, inquit, *pratermittere quod legitimum est, utique dixistis: PAX VOBISCVM. Quid salutas, de quo non habes? quid nominas, quod exterminasti? salutas de pace, qui non amas?*

Communis videtur ad tempus fuisse hæc formula Episcopis, presbyteris imo & lectoribus, quod vel ex illo Augustini loco (a) colligi potest: *quid autem perversius & insanius, quam lectoribus easdem epistolas legentibus dicere:* PAX TECVM, *& ab earum Ecclesiarum se pace separare, quibus ipsa epistola scripta sunt.* His vero, nimirum Lectoribus per Canonem IV. Concil. Carthag. III. potestas illa ademta fuit: *placuit, ut Lectores populum non salutent.* Ratio quæ movit Patres, ut illud mutarent, & Lectoribus potestatem, quam hactenus retinuerant, adimerent, secundum Albaspinæum hæc fuit, quod illa amplior & major esset, quam ut Lectoribus concedi eam oporteret. Et vere post illud Concilium tanti fuit, ea frui, ut eam Diaconis & Presbyteris eodem Concilio postea eripuerint; quia experientia usus que docuit, eos non posse, nec solere dicere: *PAX VOBIS*, tantum-



(a) Epistol. CLXV. p. m. 155. E.

tantumque Episcopo videri omnino dignum, cui pronunciare liceat. *Optatus Milevitanus* inter præcipua Episcoporum officia & munia hanc potestatem salutandi populum adnumerat libro primo circa finem. Plura vide apud Albaspinæum (a) omnino sibi persvadentem, non duntaxat Lectorem, sed ne Episcopum quidem ullum ausum fuisse, neque excommunicato, neque pagano, neque catechumeno dicere *PAX TIBI*, quod iis verbis ad CHRISTI corpus aggregari dicerentur. Et hac de causa putavit, primis Ecclesiæ seculis, infideles, pœnitentes, & catechumenos sermoni interesse non potuisse, quia Episcopus ipsum inchoaturus prius populum salutabat. Forte & illud huc referri poterit, quod *Michael Glycas* refert parte IV. animalium ex Historia Ecclesiastica Philonis, Philosophi, tempore scilicet persecutionum fuisse quendam ecclesiasticum, qui ab Episcopo a communione fidelium segregatus fuit. Accidit autem, ut ab ethnicis comprehensus pro testimonio fidei occisus sit, & in ipso loco templum exstructum fuerit. Cumque Episcopus in eo celebrans verba illa proferret: *PAX OMNIBVS*, e templo egrediebatur ille ecclesiasticus, idque pluries contigit, donec ab Episcopo absolutus, nunquam deinceps exire visus est. De quo tamen facto fides sit penes autorem. Sed ab hac salutatione transimus ad similem:

## §. VI.

## DOMINVS VOBISCVM,

Salutationis hujus modum e V. T. in CHRISTIANORVM Ecclesiam pervenisse, liquet ex Ruth. c. II. 4. ubi Boæ salutanti messores suos: DOMINVS VOBISCVM, respondetur: HIC TECVM, hoc est, BENEDICAT

(a) not. in quosd. can. Concil. Carthag. libris observ. subjectis p. m. 409. seqq.

DICAT TIBI. Hac ſalutandi formula etiam filius Obed, Aſaria Propheta miſſus a Deo ad Aſſam Regem Judæ victorem reducem uſus legitur, inquiens: (a) DOMINVS VOBISCVM, quia fuiſtis CVM EO. Et Angelus Gabriel Virgini Mariæ Θεοτόκῳ (b) dicens: DOMINVS TECVM.

Formula autem illa uti communis erat epiſcopis & presbyteris, ita aliquando Epiſcopi hac uti nolebant, priorem illam PAX VOBIS frequentantes. Quo facto Concilium Bracarenſe I. fuit permotum, ut ſequens ederet decretum canone XXI. *Placuit ut non aliter epiſcopi, & aliter presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent dicentes, DOMINVS SIT VOBISCVM, ſicut in dicto libro Ruth legitur, & ut reſpondetur a populo: ET CVM SPIRITV TVO: ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens* (Occidens), *& non ſicut Priſcilliani pravitas immutavit.* Ad quem canonem notat Garſias Loayſa, Priſcillianum non ſemel tantum, ut moris eſt, ſed ſemper ab epiſcopis dicendum eſſe *PAX VOBIS*, contendiſſe.

Cum vero ſacerdotes dicunt: *PAX VOBIS, ſive DOMINVS VOBISCVM*, nos per ipſos ſalutat Chriſtus, cupiens in nobis (c) manſionem facere, & nos ſecum in uſu etiam euchariſtiæ unire. Quia vero tanquam pluribus dicitur *DOMINVS VOBISCVM*, monente Cardinali Bona (d) decretum olim fuit, nequis celebrare præſumeret, niſi duobus ſaltim præſentibus & adſtantibus. Sed hoc deinde antiquatum dicit, quia miniſter, licet ſit ſolus, perſonam gerit eccleſiæ: alioquin cum quis recitat ſolus divinum officium, hanc ſalutationem prætermittere deberet, quod fie-

 ri

(a) 2. Paral. XV. 2.
(b) Luc. I. 28.
(c) Joh. XIV. 23.
(d) rer. Liturgic. Libr. I. c. XIII. p. 183 ſeqq. & Lib. II. c. V. p. 610.

ri non poteſt, quemadmodum jam probavit *Petrus Damiani* in opuſculo ad *Leonem* incluſum, qui hujus dubii ſolutionem ab eo petierat, an liceret Eremitis, cum ſingulares in cellis commorantur, dicere: *DOMINVS VOBISCVM*: cui lucubrationi titulum idcirco præfixit, *DOMINVS VOBISCVM.*

## §. VII.

Sacerdoti hoc modo ſalutanti reſpondet univerſus populus:

### ET CVM SPIRITV TVO.

Ritus hujus antiquiſſimi, inque vetuſtiſſimi extantis liturgiis verba accepta ſunt ex 2. Tim. IV. verſu ultimo. Vbi Doctor gentium: DOMINVS JESVS CHRISTVS CVM SPIRITV TVO. Quondam univerſus auditorum cœtus ita ſacerdoti reſpondebat, docente (a) Chryſoſtomo: *In tremendis myſteriis (eucharistia ſcilicet) ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Hac enim Verba: ET CVM SPIRITV TVO nihil aliud ſignificant.* Et Iſidorus Peluſiota (b) laudatiſſimæ reſponſionis ſenſum ita explicat: *illud quod a plebe reſpondetur*: ET CVM SPIRITV TVO *hanc præſupponit ſententiam: Pacem quidem nobis præbes Domine, hoc eſt, mutuam inter nos concordiam, pacem autem nobis da, hoc eſt, hujusmodi tecum conjunctionem, qua nullo modo divelli poſſit, ut CVM SPIRITV TVO precati, quam nobis in creationis initio indidiſti, a tua charitate deſtrahi nequeamus.* Et nihil melius inveniri eccleſiæ potuit, quod optaret ſacerdoti, niſi quod ſacerdos optat eccleſiæ, ut idem DOMINVS, qui dignatur eſſe cum eccleſia, dignetur etiam eſſe CVM SPIRITV SACER-

(a) Homil. XVIII. in 2. Corinth.
(b) Libr. 1. epiſt. CXXII.

SACERDOTIS. Priusquam vero ad alias procedamus formulas, sequentem inseremus:

## §. VIII.

### BENEDICTVS DEVS,

Qua Chrysostomus olim suas ad populum allocutiones exorsus fuit, cum vel adversi casus impenderent, aut premerent, vel cessisset jam malorum metus. Sic homilia IV. ad populum Antiochenum (cujus titulus est: exhortatio ad populum de patientia & tolerantia ob impendentem videlicet prementem calamitatem) ait: *BENEDICTVS DEVS, qui dolentes animos vestros consolatus est, & vacillantes mentes confirmavit.* Homilia vero XII. ad eundem populum, depulsa jam tempestate, ita loquitur: *Cum præteritam tempestatem, & præsentem cogito tranquillitatem, non desino dicere: BENEDICTVS DEVS, qui facit omnia &c. Dicamus igitur continue: BENEDICTVS DEVS, qui & solitam nobis dedit cum fiducia vobis mensam apponere, & vobis præbuit secure nostros audire sermones. BENEDICTVS DEVS, quoniam non amplius &c.* Et homilia XIII. *Ab eodem principio, & iisdem proœmiis, quibus heri & nudius tertius cœpi, & hodie incipiam, dicam & nunc: BENEDICTVS DEVS!* Homilia XX. *A verbo, a quo semper in periculorum tempore apud caritatem vestram exordiri consveveram, ab eodem, inquam, & hodie apud vos sermonem incipiam, & dicam Vobiscum: BENEDICTVS DEVS.* Formulam hanc a Jobo se accepisse fatetur in homilia post suum prioris exilii reditum: quid dicam? quid loquar? BENEDICTVS DEVS! *Hunc egrediens dixi sermonem, hunc iteravi revertens, & illic constitutus hunc in ore volvebam. Puto vos meminisse, cum ante hac beatum Job adduxissem in medium, dicentem: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM. Hanc vobis historiam dereliqui, has gratiarum actiones iterabo regressus: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM IN SECVLA.* -- -- --

BENE-

--- BENEDICTVS DEVS, *qui concessit exire*: BENEDICTVS DEVS, *qui redire precepit*: BENEDICTVS DEVS, *qui permisit hiemem*: BENEDICTVS DEVS, *qui dissolvit hiemem, & fecit tranquillitatem. Hac dico, admonens vos, ut semper* BENEDICATIS.

Hodie vero hæc formula eſt antiphona BENEDICTIONIS, a qua apud Græcos officia ſuum initium ducunt. Hinc typicum S. Sabæ. cap. I. καὶ συναχθέντων τῶν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἄρχεται ὁ ἱερεὺς λέγων. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἔπειτα ἄρχεται ὁ Ἐκκλησιάρχης, Δεῦτε, προσκυνήσωμεν. *Quando fratres convenerunt in templo, incipit Sacerdos, dicens:* BENEDICTVS DEVS NOSTER: *Dein incipit Ecclesiæ Præpositus: Venite, adoremus. Ex eo etiam dicitur sacerdos* Εὐλογητὸν ποιεῖν, *cum a benedictione officium Ecclesiasticum auspicatur. Preces autem ipsæ benedictionales appellabantur* Εὐλογητάρια, de quibus vid. Jacob. Goar (*a*) Carol. du Freſne (*b*) & Joh. Caſp. Svicerus (*c*).

## §. IX.

## SVRSVM CORDA.

Hac formula Sacerdos poſt oſculum ſanctum ad euchariſtiam paravit fratrum mentes, clamando: SVRSVM CORDA, ut, dum reſpondet plebs: HABEMVS AD DOMINVM, moneatur, nihil aliud ſe quam DOMINVM cogitare oportere.

Ad hanc jam olim Cyprianus (*d*) provocavit: *Cogitatio omnis ſecularis & carnalis abſcedat, nequicquam tunc animus, quam*

(*a*) in Euchologio, ſive rituali Græcorum p. 525. ſeqq. & p. 541.
(*b*) in gloſſar. med. & infim. græc. p. 447.
(*c*) in theſaur. Eccleſiaſt. p. 1247.
(*d*) in ſermon. de oratione Dominica.

*quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo: SVRSVM CORDA! ut, dum respondet plebs: HABEMVS AD DOMINVM, nihil aliud se, quam DOMINVM cogitare debere.* Sic Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. V. Mystagogica hac de re eleganter, *clamat*, inquit, *sacerdos: SVRSVM CORDA. Vere enim circa illam maxime tremendam horam SVRSVM AD DEVM CORDA levare necesse est, & non deorsum ad terram terrenaque negotia deprimere.* Et Augustinus (*a*): quod inter sacra mysteria COR HABERE SVRSVM jubemur, ipso adjuvante id valemus, quo jubente admonemus: & ideo sequitur, ut de hoc tanto bono SVRSVM LEVATI CORDIS, *non nobis gloriam quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus. Hoc enim continuo commonemur,* quia HOC DIGNVM EST, HOC JVSTVM EST recordari. Idem alibi (*b*) *Quod in Sacramentis fidelium dicitur, ut SVRSVM CORDA HABEAMVS AD DOMINVM, munus est Domini. De quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere a Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & DIGNVM ET JVSTVM esse respondent.* Et Media Epistola LVII. ad Dardanum: *Hoc Sacramentum longe est a cordibus sapientium superborum. Nosti autem, in quo sacrificio dicatur: GRATIAS AGAMVS DOMINO DEO NOSTRO: a cujus sacrificii humilitate longe abest typhus & cothurnus illorum.* De Spiritu & Litera cap. XI. *In ipso verissimo & singulari sacrificio, DOMINO DEO NOSTRO AGERE GRATIAS admonemur.* Ad præfationem hanc alludere Paschasius videtur suo de Sacramento Eucharistiæ libro c. XXI Ita enim differit: *Si volumus Sacramenta cum Christo percipere, SVRSVM in cœnaculum vitæ ASCENDAMVS. ASCENDAMVS autem SVRSVM, quia, qui deorsum jacent, non musta cum CHRISTO, sed fel draconum infeliciter, cum Juda, ut sint in felle amaritudinis, bibunt.* Hinc



(*a*) Libr. de bono Viduitatis cap. XVI.
(*b*) Libr. de bono Perseverantiæ, cap. XIII.

quoque Paulus (*a*) ait: *Quæ SURSUM sunt, capite, non quæ super terram. Non enim alicubi hic calix novi Testamenti, quam SURSUM accipitur.*

Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat: HABEMUS AD DOMINUM, mente vero circa vitæ hujus curas vagetur. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit sacerdos, curas scilicet hujus vitæ omnes, & domesticas sollicitudines illa hora relinquere, & COR IN COELO habere APUD DEUM, generis humani amatorem.

Deinde dicit sacerdos: GRATIAS AGAMUS DEO, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit. His respondemus: DIGNUM ET JUSTUM EST. *Gratias* enim Deo *agentes* DIGNUM profecto ET JUSTUM opus facimus, dicentes: SANCTUS SANCTUS SANCTUS DOMINUS DEUS ZEBAOTH. Traditum autem hunc Seraphicum hymnum recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum mundano nihil communicemus.

§. X.

Populum jamjam communicaturum ita olim alloqui solebat sacerdos:

SANCTA SANCTIS,

Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, respiciens Pauli (*b*) præceptum: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Eleganter formulam illam illustravit Chrysostomus (*c*) quem audire lubet: *Vox illa in nostras aures incurrens,*

(*a*) Coloss. III, 2.
(*b*) I. Corinth. XI. 28. 29.
(*c*) Homil. XVII. in epist. ad Hebr.

*rens, alios quidem repellit & ejicit, alios autem introducit & sistit: Nam quando dicit*: SANCTA SANCTIS, *hoc dicit:* Si quis non *sanctus, non comedat.* Non solum inquit, a peccatis purus, sed etiam SANCTVS. SANCTVM enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia spiritus & bonorum operum abundantia. Non solum, inquit, volo vos a cœno esse liberatos, sed albos esse & speciosos. Conjungi potest Cyrillus *loco* citato*:* SANCTA *sunt in altari proposita, quæ Spiritus S. sanctificationem susceperunt: sancti quoque vos estis, ut qui sancto Spiritu donati estis, atque ita SANCTA SANCTIS conveniunt.*

Interdum Diaconus specialem populo inculcabat formulam:

NE QVIS CONTRA ALIQVEM,
NE QVIS IN SIMVLATIONE,

teste libro II. Constitutionum Apostolicarum. Generalem illam formulam hodie etiam apud Græcos sacerdos dicit, uti videre est in Euchologio. (*a*) Referente Cardinali Bona (*b*), quæstio perplexa superioribus annis de qualitate SANCTITATIS illius fuit excitata, quemadmodum testantur plures, qui circumferuntur, libelli partium potius, illo judice, quam veritatis indagandæ studio conscripti. Sacerdoti autem populus respondebat. *VNVS SANCTVS, VNVS DOMINVS, JESVS CHRISTVS: quia nullus a se ipso sanctificationem obtinet, neque ipsa humana virtutis est opus: sed ex ipso omnes, & per ipsum ea donantur, dicente* Cabasila.

In iisdem sacris & sequens formula adhibebatur:



(*a*) in missa Chrysostomi p. 81.
(*b*) rer. liturg. Libr. 2. c. 17. p. 841.

## §. XI.

## ITE, MISSA EST.

MISSA nihil aliud est, quam dimissio, ἄφεσις (a), quam vocem Græcis olim in dimittenda concione fuisse usitatam, ex Plutarcho, & aliis scriptoribus, viris eruditis est compertum. Sic in judiciis Romanorum, cum præco clamabat: I LICET, judicibus abeundi facta potestas intelligebatur. Sed in Græcorum concionibus una fuit duntaxat MISSIO, cum, finita concione, præconis voce clamabatur: λαῶν ἄφεσις, hoc est POPULORUM DIMISSIO. In liturgia vetere christianorum duplex fuit ἄφεσις, MISSIO, sive MISSA. Prior, cum finitis lectionibus, S. Scripturæ & precibus illis, quibus poterant interesse catechumeni, energumeni, & alii non initiati, voce diaconi jubebantur exire, quibus sacram liturgiam spectare fas non erat: *si quis est catechumenus, exeat foras*: vel ut dicit Gregorius (b): *si quis non communicat, det locum.* Posterior, cum sacris peractis, & eucharistica celebratione finita, post εὐχὴν ἀπολυτικὴν, a diacono pronunciatam, populo discedendi fiebat potestas: quod in liturgia Chrysostomi (c) intelligitur illis verbis: ὁ ἱερεὺς ποιεῖ ἀπόλυσιν, sacerdos facit MISSAM, hoc est, DIMITTIT populum. Ἀπόλυσις est ἄφεσις, MISSA vel MISSIO, sumtum verbum e Simonis (d) cantico: Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου δέσποτα, quæ ibidem recitantur. In plerisque Protestantium ecclesiis tota actio celebrationis sacræ cœnæ Domini clauditur hoc hymno, quem flexis genibus populus concinit, quod est pulcherrimum & sanctis

(a) Bona rer. liturg. Libr. I. c. 1. p. 8. seq.
(b) Libr. 2. dialog. c. 23.
(c) in euchologi. p. m. 63. & 16.
(d) Luc. II. 29.

ſanctiſſimum inſtitutum; (*a*) etiam in eccleſia HELMSTADIENSI hucusque laudabili more uſitatum. Prior dicebatur MISSA catechumenorum, poſterior MISSA fidelium. De illa Auguſtinus (*b*): *Ecce poſt ſermonem fit MISSA catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.* De hac vero Florus Magiſter, & Remigius Antiſiodorenſis, in fine expoſitionis MISSÆ: *MISSA nihil aliud intelligitur, quam DIMISSIO, id eſt, abſolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus eſſe pronunciat, cum populus a ſolenni obſervatione dimittitur.* Vtrobique certe ad monitum Chryſoſtomi in homilia de eccleſia non contemnenda: *Ingreſſus es in eccleſiam o homo, ne exeas, niſi dimittaris.*

Cur vero certis diebus, omiſſa dimiſſione per verba, *ITE, MISSA EST*, dixerit Diaconus: BENEDICAMVS DOMINO, hanc rationem affert Micrologus cap. 46. *Congrue in feſtivis diebus ITE, MISSA EST dicitur, quia tunc conventus generalis celebrari ſolet, qui per hujusmodi denuntiationem licentiam diſcedendi accipere ſolet. At quotidiana, aut MISSARVM ſolennia non generaliter ab omnibus, ſed a religioſis conveniuntur, qui plus ſpiritualibus negotiis, quam ſecularibus invigilant, qui & reliqua, dum licet, officia frequentant. Ergo convenienter illis poſt MISSAM, non ut ſtatim diſcedant, ſed ut DOMINVM BENEDICANT, denunciatur. Huic aſſertioni & eccleſiaſtica conſvetudo videtur adſtipulari: quia cum ITE, MISSA EST dicimus, ad populum vertimur, quem diſcedere jubemus: Cum autem BENEDICAMVS DOMINO dicimus, non ad populum, ſed ad altare, id eſt ad Dominum vertimur, nosque ipſos non ad diſcedendum, ſed ad BENEDICENDVM DOMINO adhortamur. Sciendum tamen, quod ITE, MISSA EST infra adventum Domini &* C 3 *ſeptua-*

(*a*) vide Caſaubon. exercit. XVI. ad A. E. Baronii, num. 58. p. m. 515. Conf. etiam Claudium de Sainctes Lutetiæ Theologum in præfatione ad Liturgias SS. Patrum.

(*b*) Serm. CCXXXVII. de tempore.

*septuagesimam non recitetur, non quasi eo tempore nullus fiat conventus, qui sit dimittendus, sed potius quod tristitia temporis insinuanda.* Sed Bona (*a*) recte notavit Micrologum, quod hæc apposite satis non dicat. Probandum quippe prius illi fuisset, quod olim quotidianis MISSARVM solemniis populus non interfuerit. Ipse potius credit, hinc omissam dimissionem, cum fideles MISSA peracta non statim abibant, sed permanebant in ecclesia, donec recitatis canonicis precibus, & statione soluta abire fas erat.

Id quoque notat Bona (*b*), Græcos pristinum morem adhuc retinere, & quamvis in eorum ecclesiis nulli sint catechumeni, nulli pœnitentes, in singulis tamen liturgiis solenni formula diaconus ait (*c*): *quotquot estis catechumeni, recedite. Nequis catechumenus superstit, quicunque fideles in pace Dominum oremus.* Sive (*d*): *Nullus catechumenus, nullus eorum, qui nondum initiati sunt, nullus eorum, qui nobiscum orare non possunt, intersit. Recognoscite vos invicem. Fores observate. Omnes recti.* Quod vero idem addit, distinctionem expressam in liturgia catechumenorum, & fidelium apud Græcos non reperiri, tametsi semper eadem fuerit actio MISSÆ apud illos, & apud Latinos, nondum video, quid sibi velit, cum si non in liturgia Jacobi, ad quam provocat, tamen in Chrysostomi missa (*e*) habeantur ea, quæ catechumenos concernunt quoad dimissionem & orationem illorum, quam demum excipit MISSA fidelium. Cui unum a Jacobo Goar (*f*) notatum addam, quod, per ἀπόλυσιν officii cujuscunque ecclesiastici finis, quo populi conventus solvitur ac dimit-

(*a*) l. c. libr. 2. cap. 20. p. 903.
(*b*) l. c. libr. 1. c. 16. p. 231. seqq.
(*c*) Secundum Chrysostomi missam, ex edit. Claud. de Sainctes, p. m. 56.
(*d*) ex missa Jacobi, ut vulgo salutatur, ibid. p. 9.
(*e*) l. c. p. 56. & in euchologio, p. 70.
(*f*) not. in Eucholog. p. 121.

dimittitur, indicari soleat. Hinc voces illæ cujuslibet officii calci appositæ: γίνεται ἀπόλυσις, DIMISSIO FIT POPVLI. Imo non tantum officii completo fini, verum & parti ejus prolixiori signanter ab altera diversæ suam ἀπόλυσιν & terminum assignarunt, & tunc nihil aliud denotat, quam finem imponere negotio certa aliqua oratione.

## §. XII.

Liceat nobis a populi missione ad hymnos transitum facere, & inter hos ad illum:

## GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO.

Qui hæc ab antiquis Patribus hymnus glorificationis salutabatur. Autorem ejus facit Nicephorus (*a*) Flavianum, Monachum Antiochenum, alii vero a Synodo Nicæna institutum asserunt, quod Baronio (*b*) tamen ex eo minus probabile videtur, quia Synodus uniformem omnibus ecclesiis regulam præscripsisset, cui nihilominus diversarum ecclesiarum consvetudines repugnare videntur, observante Cassiano (*c*). Vetustiorem igitur esse hanc formulam communiter putant, & ad ipsam Apostolorum ætatem referendam. Cum enim fideles ab initio ecclesiæ in nomine PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI baptizati essent, ipsis tribus personis hunc hymnum glorificationis canere didicerunt. Primus qui eum mutavit, Aetius fuisse dicitur, Ecclesiæ Antiochenæ Diaconus, Arianismi instaurator, sic cani instituens: GLORIA PATRI PER FILIVM IN SPIRITV SANCTO. Quæ formula & si sanum habere

(*a*) H. E. lib. 9. c. 24.
(*b*) ad ann. 325. num. 173.
(*c*) Instit. Lib. 2. c. 8.

re possit sensum, tamen ab Arianis adhibita fuit, ut illius ambigua locutione suam impietatem eo melius celare possent. Cum Basilius, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus iisdem verbis sermonem ad populum conclusisset, Catholicis displicuit, ut pro illorum defensione librum apologeticum (a) de Spiritu Sancto ad Amphilochium Iconii Episcopum scribere necessum habuerit. In hujus capite primo scriptionis suæ causam exposuit sequentibus verbis: *Nuper orante me ad populum, & utroque modo glorificationem absolvente DEO ac PATRI, interdum cum FILIO ipsius, & cum SPIRITV SANCTO: interdum PER FILIVM IN SPIRITV SANCTO: alii quidam ex his, qui tum aderant, in nos irruerunt, dicentes nos non modo peregrinis, ac novis usos vocibus, verum etiam inter se pugnantibus: tum tu præcipue nimirum consulens illorum utilitati, aut si prorsus ipsi essent insanabiles, tamen propter eorum, qui eos adire solent, securitatem, postulasti quandam dilucidam doctrinam de vi harum syllabarum evulgari.* Ex quo loco simul patet, clausulam concionis fuisse hanc formulam a multis adhibitam (b).

Additamentum vero: SICVT ERAT IN PRINCIPIO &c. Baronius l. c. a Nicænis Patribus ad excludendam Arianorum astutiam fuisse adjectum vult. Idem constare volunt ex Concilio Vasensi, quod paulo post Nicænam synodum celebratum est, sedente tunc temporis Nectario Viennensi Episcopo, qui eidem concilio interfuit, in quo hæc reperiuntur expressa. *Et quia non solum in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum astutiam, qua DEI FILIVM non semper cum PATRE fuisse; sed a tempore cœpisse blasphemant, in omnibus*

(a) qui habetur Tom. II. Operum. p. m. 295. seqq.

(b) loca plura vide ap. Bernardin. Ferrar. de ritu SS. concionum Libr. 1. c. 32. p. m. 151. seqq.

*bus clausulis post GLORIA PATRI ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO, SICUT ERAT IN PRINCIPIO ET NUNC ET SEMPER, ET IN SECULA SECULORUM AMEN: dicitur, etiam & nos in universis ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.*

## §. XIII.

Ab hymno glorificationis progredimur ad supplicationis formulam

KYRIE ELEISON.

De prima cantus alterni origine dissentiunt ipsi sacri historici antiquissimi. Ita Socrates (*a*) a *S. Ignatio*, Episcopo Antiocheno in ecclesiam introductam fuisse, ostensa ei coelitus angelorum visione, qui hymnos alter ad alterum sanctissimae Trinitati concinebant, tradit. Sic & *Theodoretum* hymni hujus institutionem ad *Flavianum* & *Theodorum*, qui sub Constantii auspiciis Antiochiae floruerunt, retulisse, manifestum est. Hoc autem de psalmis Davidicis, non de quocunque alterno cantu absolute intelligendum venit. Rerum Liturgicarum alii tam veteres, quam recentiores scriptores *Gregorium M.* formulae hujus autorem proclamant, nescientes, multis ante *Gregorium* annis usitatam fuisse hanc in E. R. consvetudinem, quod ex Concilii II. Vasatensis, anno P. C. DXXIX. celebrati canone V. colligendum est, qui ita sonat: *Et quia tam in sede Apostolica, quam etiam per totas Orientis atque Italiae provincias dulcis & nimis salubris consvetudo intromissa est, ut KYRIE ELEISON frequentius cum grandi effectu ac compunctione dicatur, placuit nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista consvetudo sancta, & ad matutinum, & ad missas, & ad vesperam Deo propitiante, intromittatur* (*b*). Et *Gregorii* Pontificis de eo (*c*) verba haec sunt: *KYRIE ELEI-*



(*a*) Libr. VI. c. 8. p. m. 313. D.
(*b*) Caranz summa. conc. p. 147.
(*c*) Libr. VII. epist. 64.

*ELEISON nos neque olim diximus, neque dicimus, ſicut a Græcis dicitur: quia in Græcis ſimul omnes dicunt, apud nos autem* (Latinos) *a Clericis dicitur, & a populo reſpondetur, quod apud Græcos minime.* In Eccleſiam introductum eſſe hunc ritum a Sylveſtro, renovatum poſtea a Gregorio M. ait Dominicus Macer (*a*). Diu autem ante jam viguiſſe illam formulam, vel Auguſtinus (*b*) teſtari poteſt: *Si minime licet Patris, & Filii & Spiritus S. unam ſubſtantiam lingua exeri Græca, ergo nec Deum laudari decet, & barbara. Sicut enim græca lingua, quod eſt homuſion, una dicitur, vel creditur a fidelibus Trinitatis omnino ſubſtantia, ſic una rogatur, ut miſereatur, a cunctis Latinis & barbaris, unius Dei natura, ut a laudibus unius nec ipſa lingua barbara ſit, ut Latinis aliena. Latine enim dicitur, DOMINE MISERERE. Sola ergo hæc miſericordia ab ipſo uno Deo Patre & Filio & Spiritu S. lingua debet vel hebræa vel græca, & ipſa poſtremum poſtulari latina, non autem & barbara. Si enim licet dicere non ſolum barbara lingua, ſed etiam Romanis ſi quod interpretatur DOMINE MISERERE, cur non liceret &c.* Imo omni tempore in uſu fuit generi humano, ſi miſerias ſuas, quibus undique cinctum eſt, penſitaverit, ad unum illum opitulatorem, & miſericordiarum Patrem hac voce recurrere: *DOMINE MISERERE.* Arrianus (*c*) tanquam ad rem notam provocat, ſcribens: Deum *invocantes eum precamur* KYRIE ELEISON.

Specialis hujus formulæ uſus eſt in liturgiis Græcorum, & aliis divinis officiis, quemadmodum & apud Latinos in miſſis atque liturgiis. Non tamen, ut multæ aliæ ceremoniæ, in omnibus eccleſiis occidentalibus ſimul introducta fuit illa vox, cum de eccleſia Anglicana dome-

(*a*) in hierolexico p. 341.
(*b*) epiſt. ad Paſcentium, quæ altercatio eſt, 178. p. m. 164. lit. k.
(*c*) Libr. 2. diſſ. Epicteti, cap. 7. p. m. 186.

domeſtici referant ſcriptores, KYRIE ELEISON cœpiſſe anno noſtræ ſalutis milleſimo, quando Dunſtanus Epiſcopus miſſam celebraturus, ſomno ſopitus, & in extaſi raptus audivit Angelos ſanctiſſimæ Triadi has easdem preces canere, quod nunc diſtinctius inquirendum & excutiendum non ſuſcipimus. Peculiare eſt illud, quod notatum legimus apud Balſamonem (a) chriſtianos in principio numerandi ſolitos fuiſſe KYRIE ELEISON proferre: *Et quod agreſtes frequentius dicunt in unaquaque fere menſura KYRIE ELEISON.* Factum hoc Macer loco citato illuſtrat ex antiquo gentilium more & chriſtianorum hodierno. Solebant enim gentiles aliqua verba ſuperſtitioſe pronuntiare, quando infundebant in doliis vinum, menſuras nempe numerando, in principio numeri non dicebant *unum*, ſed *multa*, referente Varrone de lingua Latina Libr. IV. fortaſſe *multa fortuna bona* implorantes; quare chriſtiani, ut gentilium vitiis pie ſe opponerent, illam maluerunt adhibere formulam. Noſtra ætate chriſtiani numerando ad trigeſimum numerum pervenientes, ſolent pronunciare verba IN NOMINE DOMINI, ſive: IN BONVM, quod in deteſtationem triginta denariorum Judæ introductum fuiſſe autumat Menochius.

Cur vero ſupplicationis hujus formula plerumque in Græca potius, non a Latinis lingua latina, & a Germanis germana &c. canatur & dicatur? nonnulli eam dant rationem, quod precum & cantionum eccleſiaſticarum inſtitutores, iſtas adhibuerint, & eorum ſucceſſores in eccleſia retinuerint, forte ut oſtenderent, unam eſſe eccleſiam, quæ ex Græcis & aliis conſtat populis. Ex re tamen eccleſiæ eſſet, vocem iſtam, prout in qui-

D 2 bus-

(a) in Canon. 62. Synod. Trull.

busdam cantionibus & locis jam factum, ubivis in notiorem transferre, ut plebs rudis absurde illam sæpe proferens sciret, quænam vel cantaret, vel oraret. Vel saltim crebras oratorum sacrorum informationes requirimus, ut auditores semel informati postea domesticos suos denuo erudire possint.

## §. XIV.

Excipiat supplicationem laudis formula

## HALLELVJA.

De prima hujus origine variant historici. Epiphanius (a) Haggæum prophetam primum fuisse scribit, qui ALLELVJA illic (Babylone) cecinit, cum novi templi structuram viderit: quod nos interpretari possumus LAVDAMVS DOMINVM VIVUM. Sed ex psalmis constat, primum ea usum fuisse Davidem, Israëlitarum Regem, Spiritu Dei actum. Suffragia nobis addit Cassiodorus: *Hoc verbi decus a præsenti psalmo (CIII) fecit initium, nec ante a quoquam reperitur positum &c.* A Davide ecclesia Judaica vocem hanc accipiens eam sæpe adhibuit, ita ut Drusius ex Paulo Burgensi notaverit, fuisse in illa quoque HALLELVJA MAGNVM, sequentibus constans psalmis CXII, CXIV usque ad CXVIII. quem hymnum Judæi canant post comestum agnum paschalem, & de eo agi Matth. XXVI. 30. Extat etiam in libro Tobiæ c. XIII. nec alibi legitur in universo V. T. semel etiam in tota N. T. librorum serie, nempe Apocal. c. XIX. 1. dum Joannes Evangelista refert,

(a) Vel potius autor de vita & morte Prophetarum inter opera Epiphania c. 20.

fert, se videlicet audivisse in cœlo Angelos psallentes ALLELVJA; ut ita quibusdam videatur, canticum hoc e cœlis in ecclesiam descendisse. Postea in ecclesia semper illa obtinuit, ita, ut Augustinus (a) dicat, esse antiquam traditionem ecclesiæ: *HALLELVJA, quod nobis cantare certo tempore solenniter moris est, secundum ecclesiæ antiquam traditionem.* Hanc tamen vocem peculiarem fuisse ecclesiæ Hierosolymitanæ, & ab ea Romam translatam tempore *Damasi*, scribit *Gregorius (b)*. Quod quidem Baronius (c) ita explicandum judicat, ut caneretur etiam extra tempus paschale, cum jam ante hujus vocis usus Romæ fuerit perantiquus.

Vocis autem hujus, ex scriptura sacra notissimæ, interpretatione prolixa non opus est. Breviter expressa significat LAVDATE DOMINVM, teste Augustino. *Laudes nostra ALLELVJA sunt. Quid autem est ALLELVJA? verbum est Ebraum. ALLELVJA laudate Dominum, ALLELVJA laudate Deum. Canamus & invicem nos excitemus ad laudandum Deum, nec non corde melius, quam cithara dicimus, laudes Deo canamus ALLELVJA, & cum cantaverimus, propter infirmitatem recedimus, ut corpora reficiamus.* Ebraicæ literaturæ minus periti vocis hujus ridiculas dedere interpretationes, quas inter sunt illæ Germani in Theoria ecclesiastica (d) *Dicit enim AL. est venit, Apparuit: EL vero Deus: VJA, laudate & hymnis celebrate Deum viventem. Aliter: AL est Pater, EL Filius, VJA, Spiritus S.* item: ALLELVJA, *Deus fortis, laus Dei.* Vel: ALLELVJA,

 *præco*

(a) in Psalm. CVI. p. m. 272. C.

(b) Libr. 2. epist. 63.

(c) Baron. ann. 384. num. 28.

(d) apud de la Cerda, adv. S. cap. 98. num. 10. p. 190. & Svicerum l. c. T. 1. p. 194.

*præco Evangelii clamans*, *DOMINVS VENIT.* Convenientior Hesychii mens est: *LAVS EI, QVI DEVS EST, LAVDATE DOMINVM.* Placuit vero ecclesiis, vocem hebraicam retinere, uti græcas retinuit. Isidorus Hispalensis putat (*a*), id factum fuisse ob ipsam vocis dignitatem, & sanctitatem: *Quæ duo verba*, inquit, *AMEN & ALLELVJA nec Græcis nec Latinis, nec barbaris licet in suam linguam omnino transferre: vel alia lingua annunciare. Nam quamvis interpretari possint; propter sanctiorem tamen auctoritatem servata est ab apostolis in iis propria lingua antiquitas. Tanto enim sacra sunt nomina, ut etiam Joannes in Apocalypsi referat, se spiritu revelante vidisse & audivisse vocem cœlestis exercitus, tanquam vocem aquarum multarum & tonitruum validorum, dicentium: AMEN & ALLELVJA: ac per hoc sic oportet in terris utrumque dici, sicut in cœlo resonant.*

Varius autem ejus usus erat. Sic (1) ALLELVJA docebantur olim infantes, confirmante Hieronymo (*b*): *Audierat* Paula nimirum Paulam neptem *in cunis & crepitaculis balbutiente lingua ALLELVJA cantare, aviaque & amitæ nomina dimidiatis verbis frangere.* (2) Aratores cantabant, teste (*c*) eodem; *In Christi villa tota rusticitas est. Extra psalmos silentium est. Quocunque te verteris, arator stivam tenens ALLELVJA decantat. Sudans messor psalmis se avocat, & curva attondens vites falce vinitor, aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac provincia carmina: hæ (ut vulgo dicitur) amatoriæ cantiones.* (3) A nautis quoque apud veteres ALLELVJA cantari solitum, celeusmatis loco scimus ex Sidonio (*d*).

Cur-

(*a*) Origin. Libr. 6. cap. de officiis p. m. 141.
(*b*) in epitaph. Paulæ. Tom. I. fol. m. 86. B.
(*c*) ad Marcellam, quam invitat ad rus Bethlehemiticum l. c. p. m. 59. A.
(*d*) epist. 10. Libr. 2.

Curvorum hinc chorus helciariorum,
Reſponſantibus ALLELVJA ripis,
Ad Chriſtum vocat aulicum celeuma.

(4) Canebant in funeribus, vid. Hieronymus (*a*) *Jam fama volans tanti prænuncia luctus totius orbis populum ad exequias congregabat. Sonabant pſalmi, & aurata tecta templorum reboans in ſublime quatiebat ALLELVJA:* Vbi Eraſmus in ſcholiis: *annotandum eſt, ALLELVJA cani ſolitum in funere Chriſtianorum, velut a gratulantibus, quod evolaſſent ad ſuperos.* Licet poſtea diverſum quid in miſſa pro defunctis obſervatum fuerit, ut teſtatur Amalarius (*b*): *miſſa pro mortuis in hoc differt a conſueta miſſa, quod ſine GLORIA & ALLELVJA & pacis oſculo celebratur: GLORIA & ALLELVJA ſvavitatem & lætitiam noſtris mentibus inculcant.* (5) Canebant illud certis diebus in eccleſia. Vnde Auguſtinus (*c*): *ALLELVJA nobis cantare certo tempore moris eſt, ſecundum eccleſiæ antiquam traditionem. Neque enim & hoc ſine ſacramento certis diebus cantamus ALLELVJA. Certis quidem diebus id cantamus, ſed omni die cogitamus. Sic enim hoc verbo ſignificatur laus Dei, & ſi non in ore carnis, certe in ore cordis.* Hi autem certi dies in omnibus eccleſiis non erant iidem, quod iterum ex Auguſtino (*d*) diſcimus. *Vt autem ALLELVJA per illos ſolos dies quinquaginta in eccleſia cantetur, non usque quaque obſervatur. Nam & in aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipſis autem diebus ubique.* Univerſa autem chriſtianorum eccleſia hodienum toto anno pſallit ALLELVJA, exceptis IX. ſeptimanis, quibus id intermittere ab antiquitate pia accepit, a ſeptuageſima nempe, usque ad Paſcha. Quare vero IX. prædictis hebdomatibus & aliis tempori-

(*a*) in epitaph. Fabiolæ l. c. p. m. 91. D.
(*b*) de eccleſiaſt. offic. Libr. 3. c. 44.
(*c*) Pſalm. CVI. Tom. VIII. p. m. 271. C.
(*d*) Epiſt. CXIX. c. 17. p. m. 119. B.

temporibus omittatur, varias causas a rerum Liturgicarum scriptoribus adductas deprehendimus, quas nunc enumerare nostrum non est. Vide Antonium Bellotte, Presbyterum Canonicum, S. T. D. & Cathedralis ecclesiæ Decanum (*a*); & de aliis, quæ hanc formulam concernunt, Cardinalem Bona (*b*). Id unicum tacere nequeo, quod Sozomenus memorat Alexandriæ accidisse in Serapio templo & vetustate & amplitudine nobilissimo, ad Imperatoris mandatum mox diruendo. Erat in eo Olympius quidam, qui in habitu philosophico cum paganis degens, svadebat, haudquaquam negligenda esse sacra, sed pro illis, si res ita postularet, mortem quoque subeundam. *Hic, sicut a quibusdam accepi*, scribit Zozomenus, (*c*) *non multo ante noctle intempesta, quæ illum diem, quo hæc facta sunt, præcessit, quendam in serapio ALLELVJA canentem audivit. Et quoniam foribus clausis, cunctisque quiescentibus, neminem conspiciebat, sed solum audiebat vocem, psalmum illum modulantem, intellexit, quid sibi velit hoc signum.* Et omnibus insciis templo egressus est, cumque navigium forte nactus esset, in Italiam trajecit.

## §. XV.

### Prioris formulæ quasi echo est

### DEO GRATIAS.

Hæc laudandi methodus observata est tempore persecutionum a veteribus, teste Augustino: *qua virtus in fœminis? qualis est gratia? quæ cum se infundit, nullum indignum judicat sexum. GRATIAS gratia Dei, reparavit enim sexum muliebrem.* Et sic (1) usurpabatur pro constantia Martyrum. (2) Vete-

(*a*) in observatione ad ritus eccles. Laudanens. redivivos p. 403. seqq.
(*b*) l. c. Libr. 2. cap. 6. p. 654. seqq.
(*c*) H. E. VII. 15. p. m. 725.

(2) Veteribus usitata erat hæc consvetudo in administratione Eucharistiæ, ubi ante orationem, præfatione præmissa, sacerdos dicebat: GRATIAS agamus DOMINO, quod nos adeo indignos ad tantum gratiam, ad tanta mysteria vocavit. DEO enim GRATIAS agentes dignum & justum opus facimus (*a*). Totius quoque actionis sacræ finis imponebatur *gratiarum actione*, quod vel ex illo Augustini loco (*b*) colligi potest: *quibus peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.* (3) pro diligenti auscultatione verbi divini, docente eodem (*c*): *GRATIAS DOMINO DEO nostro. Adjuvit nos & in vobis, & in nobis. Nunc video vos & attentione audiendi, & celeritate intelligendi non solum percepisse dictum, sed pravolasse dicturum. GRATIAS DOMINO.* (4) Quando aliquis ex pagano christianus factus, teste (*d*) Augustino: *Nescio enim quis ex pagano factus christianus. Intendite, ecce tenebra erant, quando paganus erat, modo jam christianus factus est. DEO GRATIAS omnes gratulantur. Mutatus est, DEO GRATIAS. Omnes gratulantur christiani. Quare? quia jam adorator Patris, & Filii, & Spiritus S. etiam detestator dæmoniorum & idolorum est.* (5) Post recuperatam denuo valetudinem, confirmante Augustino (*e*): *meque gaudente, & apud me GRATIAS DEO agente, ingreditur etiam ipse. -- Procedimus ad populum, plena erat ecclesia, personabat vocibus gaudiorum, DEO GRATIAS & nemine tacente, hinc atque inde clamantium.* (6) Pro adversis, teste Hieronymo: *GRATIAS DEO, quod dignus sim, quem mundus oderit.* B. Sagittarium peculiarem meditatum fuisse dissertationem de hac Christianorum formula, ex catalogo scri-

 ptorum

(*a*) Vid. Justinus M. apol. 2. & Cyrillus loco supra citato.

(*b*) epist. LIX. p. m. 62. K.

(*c*) Serm. LXIII. in Evangel. secundum Joh.

(*d*) Tract. I. in Joh. Epist.

(*e*) de C. D. Libr. 22. c. 8.

ptorum B. Viri didici. Utinam illam orbi erudito relinquere potuisset!

## §. XVI.

### Detestandi formula sit

### ANATHEMA.

Anathema dicitur ab ἀνατίθημι, quod in columna suspendatur, & appendatur, quo etiam tendit Socrates H. E. VII. 34. p. 275. Vox hæc ab autoribus nunc in malam, nunc in bonam partem sumitur, prout vocem ἀνάθεμα vel ἀνάθημα confundunt, vel distingvunt, de quo videatur *Salmasius* (a) & ex eo *Caspar Barlæus* (b) atque *Svicerus* (c). Placet nobis Chrysostomi (d) locus, discrimen utriusque vocis pluribus inculcans: *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, Anathema sit, hoc est, ab omnium commercio segregetur, alienus ab omnibus sit. Nam quemadmodum Anathema donumque id, quod DEO oblatum dedicatur, nemo est, qui temere manibus contingere audeat, vel ad illud propius accedere: Sic etiam eum, qui ab Ecclesia separatur, ab omnibus abscindens, & quasi longissime abducens, hoc nomine a contrario scilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo ut separentur, ac pedem referant. Donario enim honoris gratiæ appropinquare nemo audebat: ab eo autem, qui ab ecclesia abscissus erat, ex opposita omnes sententia separabantur. Quapropter separatio quidem tum hæc, tum illa ex æquo a vulgo abalienatio erat: separationis enim modus non unus, sed illi contrarius. Ab illo enim abstinebant, tanquam Deo dicato, ab hoc, tanquam ab ecclesia abscisso.* Ἀνάθημα ergo Chrysostomo

(a) in Solin. p. 1089. seqq.
(b) epist. 170. P. I. p. 384. seqq.
(c) l. c. p. 268. seqq.
(d) Hom. 16. epist. ad Roman.

ſtomo id eſt, quod Deo conſecratur, & a quo quis propter reverentiam abſtinet: *ἀνάθεμα* vero, quod a Deo & ab ecclesia alienatur, & a quo quis propter communionis periculum recedit. Verbum Anathema Hieronymus (*a*) *proprie Judaeorum eſſe dicit, & poſitum tam in Jeſu Nave, quam in Numeris: Quando omnia, quæ erant in Hiericho & Medianitarum deteſtationi & anathemati habenda Dominus imperavit.* Id quod ita intelligimus, a Judæis vocabulum huic reſpondens in certis caſibus fuiſſe adhibitum, nimirum Num. c. 21. verſ. 3. חֲרְמָה & Joſuæ VI. verſ. 17. חֵרֶם. A Judæis acceptum verbum apoſtolus introduxit in eccleſiam (*b*) *Qui Dominum Jeſum Chriſtum non amat*, jubet eſſe *anathema mabaram motha.* Et alibi (*c*): *Sed licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis; ANATHEMA ſit. Sicut prædiximus & nunc iterum dico: Siquis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis: ANATHEMA ſit.* Hunc morem imitata eſt ſequentium temporum Eccleſia, dum in generalibus ſynodis hæreticorum ſententias *anathemate* ferit, imo dum unusquisque ſententiam exquiſitus a concilii præſide eam dixit atque formula ſolenni *anathema* confirmavit, prout ex inſpectione plurimorum Conciliorum cuivis facile conſtabit. Non duntaxat autem in conventibus publicis hac formula uſi fuere veteres, ſed & in privatis fidelium collocutionibus novatores doctrinæ evangelicæ eadem ab illis notabantur, teſte Tertulliano (*d*): at tu, ſi fides vigilat, ibidem Scorpio pro ſolea *anathema* inlidito, & relinquito in ſuo ſopore morientem. Et alibi (*e*): *dum quaque ex parte anathema audiamus, qui alteri annunciamus.* Succeſſu temporis quando codicillos atque teſtamenta firmare volu-



(*a*) comment. L. 1. in epiſt. ad Gal. c. 1. p. m. 80. G.
(*b*) 1. Cor. XVI. v. 22.
(*c*) ad Gal. c. I. v. 8. & 9.
(*d*) in Scorpiaco adv. Gnoſtic. c. I. p. m. 592. G.
(*e*) L. de jejuniis adv. Pſychicos c. I. p. m. 692. F.

voluerunt Imperatores atque Principes, ne quid post hac alienum ab eorum voluntate fieret, expresse *Anathema* addiderunt, teste B. Sagittario (a), qui ex traditionibus Fuldensibus hæc citat: *Si quis — contra hanc epistolam donationis nostræ venire tentaverit, aut eam infrangere conatus fuerit*, iram divinæ Majestatis incurrat & divinam ultionem supra se recipiat. — Hæc qui irrita fecerit, *anathema* sit. — Ipsam Dei omnipotentis pœnam incurrat, & ab omni loco sanctorum excommunicatus appareat.

## §. XVII.

Formularum clausula fit. AMEN. Carolus du Fresne (b) de hac voce ita disserit:

*Verum*, *vere*, *fiat*, AMEN tria denotat ista,
Si *verum*, nomen, adverbium sit tibi *vere*,
*Amen Amen vere*, duo sunt adverbia vere,
*Amen* pro *Fiat*, tibi verbum deficiens est.

Sic *Amen* nota est (1) confirmandi, rem aliquam vere & certo adesse, aut futuram. Inde (c) omnes promissiones Dei dicuntur esse Ναὶ & ἀμὴν in Christo. (2) testificandi assensum suum tam in re aliqua confirmanda, quam optanda (d). Vocis autem hujus usus est varius. Sic (1) formula hæc Judæis pariter ac veteribus confirmandi vim habebat. vid. Franckensteini (e) qui potissimum

(a) Antiquit. Duc. Thuring. p. 317.
(b) in Gloſſar. Lat. p. 166.
(c) 2. Cor. I. 20.
(d) Deuter. XXVII. ubi Amen undecies reperitur.
(e) in epist. ad Philemon. observ. VII.

mum de triplici Judæorum Amen disseruit. (2) Amen respondebant communicantes, cum eis præberetur sacramentum eucharistiæ. In primitiva enim ecclesia hæc obtinuit consvetudo, ut ministro, cum distribueret S. Cœnam, pronuncianti benedictionem, f. gratiarum actionem, ille, qui benedictum accipiebat panem & poculum, responderet AMEN. Testis itidem hujus est Cyrillus Hierosol. (a) scribens: *Accipe corpus Christi, dicens simul, AMEN. Et de poculo: deinde, postquam participaveris corpus Christi, accede etiam ad poculum sanguinis, dicens: AMEN. Et porro, Episcopus quidam det oblationem, dicens: corpus Christi; qui vero accipit, dicat: AMEN. Diaconus autem deponat: sangvis Christi, poculum vitæ: & qui bibit, dicat; AMEN.* Et Ambrosius (b) dicit: *Jam in spiritu confiteris, quod accipiens corpus Christi, dicit tibi sacerdos: Corpus Christi, & tu dicis: AMEN, hoc est verum, quod confitetur lingua, tenet affectus.* (3) Christiani veteres obsignabant voce hac AMEN preces partim publicas, partim privatas. De privatis videas exemplum *Polycarpi martyrium* adeuntis: *ἀναπεμψάντος δὲ αὐτοῦ τὸ Ἀμὴν, καὶ πληρώσαντος τὴν προσευχὴν, οἱ τοῦ πυρὸς ἄνθρωποι ἐξῆψαν τὸ πῦρ*, h. e. Cum AMEN clara voce insonuisset, precationemque complesset, ministri, quibus accedendi ignis commissa erat cura, rogum accendunt. Textus loquitur de Polycarpo martyre. Vbi *H. Valesius: Verbum ἀναπέμψαντος hoc mihi indicare videtur, ipsam quidem orationem tacite ac submissa voce a Polycarpo pronunciatam fuisse; AMEN vero edita voce prolatum.* Itaque recte Rufinus vertit: *& cum AMEN insonuisset.* De publicis loquitur Augustinus: *numquid, ubi audieris Sacerdotem Dei ad altare populum adhortantem, ut Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suum venire compellat, non*

 respon-

(a) Catech. V. Mystag. p. 255.
(b) de Sacram. L. IV. c. 4.

*respondebis AMEN?* Referatur huc etiam locus Justini (*a*): *a precibus finitis mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui patribus praest, offertur panis & poculum aquae atque vini. Quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus S. offert, & eucharistiam, s. gratiarum actionem pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus adest, omnis fausta approbatione acclamat dicens: AMEN. AMEN autem voce Ebraea FIAT significant.* Et in sequentibus: *Consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus: & sicuti retulimus, precibus peractis panis offertur, & vinum & aqua: & praepositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat, dicens: AMEN.* Eadem voce obsignabant (4) olim epistolas, quas formatas vocabant, docente Ferrario. (*b*) Quod factum fuisse putat ob eam rationem, ut ea voce, quasi certo signo ac nota vere ac fideliter juxta constitutam ac præscriptam a Nicænis Patribus formam exaratas fuisse hujusmodi literas demonstrarent. Eam enim esse vocis hujus significationem, testatur aperte ex Aquila, Symmacho & Theodotione D. Hieronymus (*c*). Idque exemplo Apostolorum factum fuisse facile crediderim, quod ex eorum epistola hac una semper terminatione concludantur, & affirmat D. Paulus (*d*) voces hasce, GRATIA & AMEN veram ac germanam fuisse epistolarum suarum notam, quam deinde mutuati sunt alii in ecclesia Doctores. Ingeniosum vero id mihi videtur, quod Abbas Joachimus, magnum temporis sui nomen (*e*) obser-

(*a*) Apl. 2. p. m. 97. D.

(*b*) de antiquo genere Epist. Ecclesiast. c. V. p. m. 21. seqq.

(*c*) in suis ad c. VI. Matth. Commentar. & ad c. ult. epist. D. Pauli ad Galat. & ad c. 14. in I. Corinth.

(*d*) 2. Thessal. III.

(*e*) in cap. I. Apocalyps.

observat: semper Deum in principio periodi incipere hac voce AMEN, ut e variis scripturæ locis constat; nos vero mortales semper in fine pronunciare, quia autor veritatis, imo ipsa veritas Deus est, nos autem veritatis pedissequi ac discipuli sumus. Sicut nos hac formula labori nostro finem imponimus non ex instituto, sed strictim duntaxat insigniores quasdam Christianorum veterum formulas ex antiquitatum fontibus erutas, sistere meditati dicentes:

GLorIa PatrI & FILIo & SpIrItVI sanCto,
CeV erat In prInCIpIo, eX nVnC &
seMper atqVe In seCVLa.

